



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

VIII. Lutherus durantibus Augustanis comitijs, suis rebus prospicit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

At Brentius & Sneyffius indignabundi magna voce exclamarunt, *Non se eò venisse ut Lutheri scripta, sed ut Fides sua Confessionem defenderent.* Vides quomodo Lutherus etiam vivus à discipulis suis fuerit desertus. Tantum vero abest ut colloquio illo sancita sit concordia, ut schisma etiam multo magis invaluerit. In quo scandalo Imperator nullum bonae religionis & pacis inter Christianos amantissimi Principis officium omisit, primores Protestantium iam privatim iam publicè alloquens, & ab exitio, ad quod prona ferebantur, revocans.

*At cui non habitas tranquillo in pectore dulcis
Pacis amans, placida mens & composita quiete,
Hic facile in bellum ruet ingentemq; procellam
Mox dabit Hunc frustrans tu constringere tenta.
Viribus Effervescet enim magis, & sese effert ira.
Multa dies variusq; labor mutabilis & vi
Rettulit in melius.*

Finis demum Comitiorum illorum fuit miserabilis, nempe post oblatam Confessionem, & eiusdem refutationem, Apologiam, plicas & replicas, Tractationem de concordia, animorum fucata quædam fieret compositio, revera exulceratio, Protestantibus, cuncta ex arbitrio prædicantium & Lutheri poscentibus, Catholicis dare cuncta non valentibus, utpote contra Fidem & Deum postulata (c)

Illi in postulando libero Germania Concilio, & interea dum per illud certi aliquid statueretur, conscientiarum libertate, persistebant. Hi iterum atque iterum dogmata eorum damnabant, uti & rationes allatas. Tandem de Principum assensu ab Imperatore factum est decretum quo Protestantibus tempus ad deliberandum de quibusdam controversiis ad religionem pertinentibus articulis concessum fuit, diligenter prius monitis, ne ab ea fide qua universali consensu ab Ecclesiâ iam olim recepta esset, & tot sæculis in ea perdurasset, recederent. Prohibitum insuper fuit, ne subiectos vi ad ipsorum cogere religionem; tum ne quidquam mutarent neve quidquam in primi & in vulgus spargi sinerent quod Romana Ecclesiâ ad verjaretur: mandatum insuper ut Ecclesiasticis bona restituerentur: omniaque ad futuri usque Concilij decreta, in integro relinquerentur. Neque hoc decretum Protestantibus placuit, sed protestando quotidie Protestantes protestabantur; donec tandem quod precibus non poterant, vi & armis impetrare decreverunt.

Dum Augustæ habentur comitia, Lutherus in

Franconia veluti in specula in omnes occasiones erat intentus, hoc unice voluptati habens quod sui causa tantos tumultos ubique videret excitatos: Neque interim tamen ociabatur, sed commentarium in Psalmum secundum *Quare fremuerunt gentes?* proindebat: quasi conventus ille contra Deum & Ecclesiâ esset institutus. Non multo post idem librum emisit, Episcopis Augustæ Vindelicorum congregatis dedicatum, multis verbis eos ad suum recipiendum Evangelium exhortans. Sed & ad Principes Protestantibus idem scripsit, & mirifice eos ad Evangelij sui defensionem quam ab ipso acceperant, defendendam animavit. Sed audi, quæso, ipsius de bonorum Ecclesiasticorum restitutione consilium. *Flagitatur*, inquit, *à vobis ut bona Ecclesiastica restituantis, & Monachos à cuniculis suis extractos reducatis* (Hoc sane articulo nihil tamen erat illis molestius) *Vos vicissim ab eis ut tot animas perditas, tot innocentes morte affectas, tot bona male usurpata restituant efflagitate.* Id si fecerint, tum demum disceptabimus ad quem bona illa pertineant.

Quamvis autem à comitijs abesset Lutherus, quotidie tamen de omnibus quæ agebantur per veredarios ultro citroque missos edocebatur. Quia autem nihil magis metuebat quam pacem Ecclesiæ, eoque Melanchthonis, quæ interea mœrori, suspirijs atque lacrimis, ut Sleidanus loquitur, se totum dabat, facilitatem suspectam haberet, ne scilicet cum Catholicis aliquam concordiam rationem iniret, à quorum religione Confessio illa prima ab ipso scripta in multis non longissime aberat, certe non tantum quantum Lutherus velle, discrepabat: crebris illi litteris erigere & consolari non cessavit. inter alia his verbis uti à Sleidano recitantur: *mibi quidem omnis hæc actio de doctrina Concordia displicet, nam frustra labor hic sumitur, nisi regnum suum Pontifex aboleri totum velit.* Expectavit nempe ira hic filius, ut Pontifex ad pedes ipsius abiectus, veniam peteret & misericordiam imploraret; ratus firmam illam & incusam petram, super qua supremi Pontificis auctoritas fundata est iam à se deicendam atque subversam. At aliter sentiebat Melanchthon, nimirum ad confusionem vitandam necessarium esse, ut supremum aliquod Ecclesiæ caput agnoscat. Hæc tumita à Luthero scripta & facta sunt, decennio post quam

ab Ec-

c Vlenborg. Vit. Luth. esp. 2. & in Vit. Melanchthon. cap. 6.

ab Ecclesia defecit; quo ipso tempore ad Leonem X. Pontificem scribens, vitam ac mortem suam in ipsius manu esse aiebat, Vicarium Dei appellans quem postea Vicarium diaboli dicere non dubitavit. tantum à se ipso iam tum abierat Lutherus: qui quanto diutius vixit, tãto plus à se ipso defecit, euidentis signo recordiã, vbi tanta erat indies mutatio mentis.

DE CONVENTU PROTESTANTIUM Smalcediã habito, & federe ibi percusso: & Concilio à Clemente VII. indicto.

CAPUT VIII.

ARGUMENTUM.

- I. Finitis Augustanis comitijs, Protestantes Smalcediã conventus agunt.
- II. Imperator Carolus fratrem Ferdinandum in Romanorum Regem eligi curat.
- III. Clemens Papa legatos ad Protestantes mittit.
- IV. Paulus Papa Concilium indicit & promulgat.
- V. Inter Imperatorem & Gallia Regem pacem facit.
- VI. Lutheri scurrilitas.

QUVM hoc modo Augustana Comitia sine ullo fructu, quam quod vna pars alterius voluntatem explorasset, dolente admodum Cæsare, Luthero contra, vt qui nihil æque quam schismatis à se facti extinctionem mereret, exultante ac triumphante, exitum habuissent, Cæsar alium Conuentum pro Romanorum Rege eligendo indicit Electoribus Coloniam in 29. Decembris. At Protestantes alium conuentum Smalcediã indixerunt ad 22. Decemb. eod. An. 1530 vt sese ex mente Lutheri contra Cæsarem & Ecclesiam armarent, ac forte de Electione futura deliberarent. (a) Sed antequam quid ibi actum sit, explicemus, audiamus quod Lutheri de comitijs illis fuerit iudicium. O infamem, inquit, conuentum! An unquam ullus infeliciof fuit celebratus? An infeliciof posthac celebrari possit? An non Germaniam totam erubescere par est? Quid Turca dicit, si audierit nostrum Imperium hoc modo administrari? Quid Tartari, quid Moscovitæ dicent? Quis porro nos metuat, aut nostri rationem habendam putet, si intelligat Germanos tamquam stultos,

infantes & truncos ita à Papa circumduci & tractari? Satis ego iam vixi, iam Dominum meum Iesum Christum de Papa vlcisci incipio. Quod si in Papali hoc bello interfectus fuero, longam Episcoporum, Sacerdotum & Monachorum turbam post me traham, vt sic cum processione quadam ad sepulchrum ferar. Et ipsi quidem cum omnibus diabolis in abyssum inferni descendunt, ego vero, in brachia Saluatoris meime abdam. Quis hic tibi Pericles? Annon tonare & fulgurare; non Germaniam tantum, sed & totum terrarum orbem permiscere verbis suis videtur? Sed ad rem.

Principes igitur Protestantes, quos diximus, non Reformationis, sed à Luthero prædicatæ Euangelicæ libertatis cupidi, Smalcediã conuentum indixerunt. (vbi iam antea non ipsi modo, sed theologiam, Lutherus, Melanchthon, Bucerus, Osiander, & alij non semel conuenerant) non vt de religione concilianda, aut pace stabilienda, sed de libello gerendo clanculum deliberaretur. Lutherus vt & ipse aliquid conferrer, librum edidit, in quo omnes hortatur, ne sub Cæsaris, si forte is bellum religioni faciat, signis militent, addita aterni exitij, si id fecerint, comminatione. Neque hoc solum contenti fuerunt protestantes, sed videntes Cæsarem in suo. Coloniam indicto conuentu Electorali progressum, Saxone solo absente & nequicquam per filium suum Ioannem Fridericum, contra Electionem protestante nihilo secius Ferdinandum Caroli V. fratrem Regem Romanorum esse creatum 5. Ianuarij An. 1531. & Aquisgranum inauguratum, sub finem Martij iterum conuentum Smalcediã celebrarunt. & plures vt se illi fæderi iungerent sollicitarunt. (b) Ibidem Protestantes formulam quandam religionis conceperunt, quamuis Sleidanustacitus prætereat. Id quod ex ea Præfatione quam Ioannes Gulielmus Saxonix Dux Corpori doctrinæ à Thuringiã theologis editæ præfixit, vbi sic loquitur: Protestamur, quod post Prophetarum & Apostolorum scripta amplectimur & in magna veneratione habemus Articulos Smalcedicos, à Luthero compositos, quos pater noster, felicitis memoria, Ioannes Eridericus tanti fecit, vt in maximis suis afflictionibus, vix vilo libro quam illo usus sit. &c. Ex hoc eodem conuentu literæ ad plerisque Europæ Principes missæ sunt, quibus illi apud alios se purgant, apud alios vero ad tuendam hanc Dei causam

a Vlenberg Vite Luth. cap. 24. n. 1. ex A. A. ibi citati.
b Vlenbergius Vit. Luth. cap. 24. num. 1.